

horum pars illud temporis punctum eligit, quando foetus humanus à matre separatur, & spirare incipit. (b) Quàm difficile vero sit, temporis articulum, quo quis nascendo in lucem prodit, certè & exquisitè aestimare, optimè perspectum habent Medici & Astronomi. Illi ex eo, quod actus enitendi foetum non sit momentaneus, sed successivus, & quandoque summà cum morà conjunctus: Si enim pars foetus superior jam enixa fuit, nonne inferior in utero adhuc jacet inclusa? Media si editur, annon caput sua jam accepisse fata, pedes verò astrorum influentiis nec dum esse subjectos, sed aliam cœli constellationem expectare, ut statuas, necesse erit. Dabimus autem Astrologis, infantem tum demum stellis vi expositum esse, quando totus ex utero exiit, nihilominus Astronomos non fugit, quàm longè hæc temporis aestimatio à cœlo aberret, quod tamen non potest non, directiones & revolutiones si spectas, indefiniendâ longitudine vitæ, in assignando matrimonii, honorum, morborum, mortisque tempore, Astrologis foecundum creare errorem.

§. II.

Errorem igitur hunc cum viderent Astrologi, ut partim per *Trutinam* Hermetis, partim per *Animodar*, partim denique per *accidentia Nati* corrigeretur, nihil prius habuerunt. *Trutina Hermetica* apud *Themato-graphos* (c) est illud examen, quo ex tempore conceptionis tempus partus aestimatum expenditur, correctumque redditur. Originem suam debet hæc Hermeti, rerum cœlestium antiquissimo scriptori, qui statuit, illū ipsum cœli gradum horoscopare tempore partus, quem Luna tempore conceptionis tenuerit. Quò etiam *Ptolomæus* (d) tendere videtur: *In quo signo Luna est genitura tempore, illud in conceptu fac ascendens: & in quo signo inventa fuit in conceptu, illud aut ejus oppositum fac ascendens in partu.* Sed obscurum per æquè obscurum hic probare Astrologos, noctemque cum tenebris permutare, quis non videt? Eventui etiam nullo modo respondet correctio, quam per *Animodar* (e) instituant, observando scilicet tempus partus præcedens, *Luminarium Syzygiam* (ex qua nativitatem vel conjunctionalem, vel preventionalem dicunt) & qui planeta tum præcipuum tenuerit locum. Sanè peccarem in chartam, si nugis his inhærendo, eam maculaverimus. Firmiori aliquantulum statuto, quando per *accidentia Nati* prius benè cognita, factæ Nativitati correctionem applicant, cœlumque hinc

(b) *Laur. Eichstad. in Proleg. III. part. Ephemer. aphor. 1.* (c) *Vid. Jo. Schonerus in prolegom. de Judic. Nativit. que habentur p. 55. Operum ejus anno 1551 in fol. editorum.* (d) *Propos. 51. Centiloq. sui p. m. 271. edit. Prag. in 12. conf. Cardanus Aphor. Segm. 4. aph. 9.* (e) *Evolvè Origanum loc. sup. cit. p. 377.*